Quaestio medica quodlibetariis exagitanda disputationibus die Jovis 27 Januarii. Clarissimo viro D. Hyeronymo de Varades regi a consil. et secretis eiusdemque medico, et Mariae Isabellae Caroli 9 regis invictissimi filiae archiatro fidelissimo, et totius medicorum nobiliss. coetus venerandae senectutis decano observandiss. Moderatore prudentissimo.

An iisdem nutrimur quibus constamus?

Semen et sanguis ex elementis totus per tota confusis, humorum quatuor intercedente sanguine consistentium conflata, nostrae generationis principia censentur. Quemadmodum autem ex illo partes spermaticae, sanguine partes priores prodeunt, ita rubrae ab hoc formantur. Si quidem dum partium similarium rudimenta ponuntur, ossa in feminis corpore filis aranearum simillima, contexta apparent, quibus tanquam basi reliqua nititur substantia. Illa itaque ex humido seminis concreta plus ignis et fibrae a natura obtinent, quod ipsa exsiccari oportebat corpora, eius tamen humidi quod a semine contraxerunt aliquid in omnem vitam recondunt, quod et viscosae naturae plurimum est, et senibus exiguum, ita interiectis aetatibus mediocre. Circa quae sanguis decumbens concrescit, fitque substantia ex sanguine carnosa, quae inserta locis inanibus partes solidas undique circumfundit et obvallat, et attracto sanguine menstruo duplici coctione elaborato (cuius duplex est excrementum) et dimota sunt, vario quoque aluntur.

Foetus in lucem editus, imbecillis partibus, pluribus viribus externis opportunus, viribus interius obnoxius, ut viris restaurentur corpus ad iustam magnitudinem producatur dissolutionis iactura (quam in dies patitur) resarciatur, idoneis alimentis eget, cibo quidem, ut quicquid solidioris, potu quicquid humidioris substantiae effluxerit, et quod spirituosae aeris inspiratu attracto, restituatur, qui non modo corpori est refrigerio, verum spiritui in pastum cedens est alimento. At vero quoniam sanitatis studium est, non satiari cibis, tantum eorum boni succi exhibendum venit, ut vires reficiantur, non opprimantur, sintque sanis similes, aegrotantibus contrarii, consueti tamen insuetis minus molesti. Paulo pinguiores si suaviores, melioribus quidem inqualis, antispasmodi, concoctu faciles, iis qui difficiles, liquidi solidis, digestionem moventes tardius commutantibus praemittatur, tempore et hora legitimis exhibeantur, hyeme et vere, quam aestate aut autumno uberiores, pueris humidiores, adolescentibus medii, senibus humore perfusi calidiores conducunt.

Quae alimenta dissimilia ut partibus fiant analoga περι triplici egent, sua vero quamque antecedit praeparatio, sua sequitur absolutio, suum cuiusque alimentum [sanguificationis] genitus humor, suum excrementum excernitur. Prima in ventriculo, qui cibos in ore attritos vectosque fibris ab ipso prolectat, eosdem aliquandiu retinens, proprietate et calore insito, et partium sibi adiacentium auxilio, conficiens chylosis dicta perficitur, cuius opus chylus est, quo quidem ipse non alitur, sed tolum pyloro in intestina collabi sinit, tenuior mesaraicarum venarum ductu ad iecur rapitur, quem sua specie ornat, et in sanguinem vertit, cuius portionem perfecta nutritione sibi assimilat, superevacanea suis sordibus repurgata: quibus amarae ~~[illegible]~~ [fellis] vesiculae gaudet, lienis venis voluptuantur, renales serosis aluntur, vena cava hepatis gibbis enata excipitur, quae cordis calore illustrata omnium calidissimus sanguis evadit.

Quoniam autem partes non a simili substantia nascuntur, et non uno eodemque temperamento censentur, ita nec pari substantia nutriuntur, nec eiusdem alimenti suavitate pascuntur, nec delitiis iisdem capiuntur: quarum tamen nec minima quidem est quae alimenti benignitatem non exoptet. Eamobrem quadruplici facultate sibi insita (altrici mancipante) quod si aptum est prolectat et allicit; reficiuntur quidem sanguine omnes, biliosiores calidiores, pituitosiores frigidiores, crassiore vero corporis densa moles recreatur: quo attracto particulae circumstantis abstrusa venis arteriisque exilibus elaborato, ex earum finibus in varia loca influxu ~~[illegible]~~ [redundavit] excitatur humor qui roris modo multiplici lapsu in partis substantiam effluens eiusdem calore mutatur, coctione cogitur, ipsis fibrarum ope (sine quibus fit atrophia) agglutinatur, tandem parti assimilatur, et perfecta ὁμοίωσις in [eius] naturam facessit.

Quo carnosae partes et spermaticae nutriuntur, pulmones tamen tenuiore, cerebrum vero humidiore, si quidem non ex alia materia procreantur particulae, ex alia vero alimentum vitamque capessunt, sed unumquodque tali quali ipsum est alimento oportet, ~~ut~~ sicuti reliquae partes alba a semine ortum, quandiu est in animante semine alitur, et in sede cum caloris et spiritus continens spermatico madescere conspergitur humore spatiis angustis affuso; medulla vero ossis cancellis destituta, eiusdem vi et tepore deallescens concoquitur, et ossi proximum est alimentum, quae ~~[illegible]~~ [elapsi] restinctis alimenti subsidio restauratur, ~~cart~~ cartilago, membrana, nervus, mucoso simili quo constant circumiecto semine nutriuntur, velut vena, et arteria, tunica interiori apposito. Quo itaque ut pars quaelibet simili fruatur alimento, ita perimitur contrario, et caloris insitum ac humidum depascentis pabulum ad aliquot tempus fovetur, modo aliunde vitae periodus non accersitur.

Ergo iisdem nutrimur quibus constamus.

Deffendebat Petrus des Monts Rothomagensis. A. D. 1575.

Domini Doct. disputaturi.

M. Claudius Rebours. M. Joannes Martin. M. Joannes Stellatus.
M. Bartholomaeus Perdulcis. M. Andreas du Breuil. M. Philippus Allen.
M. Bonaventura Granger. M. Claudius Balzin. M. Ludovicus Cochin.

F.M.P. Bibliothèque